



Vaticinium inter libros cuiusdam eximij Doctoris Cobolæ nomine repertum.
Anno à Christo nato. 1440. Erat autem manu eiusdem propria conscriptum in sequentem sententiam. Obijt autem ille anno 1480.

Karolus rex Hispaniarum, Austriae archidux, &c

Karolus Philippi filius frontem habens exporrectiorem, prominentes palpebras, magnos oculos, aquilinum nasum, anno ætatis suæ 14. coronabitur, aut decimo septimo iuxta aliorum uaticinia. Hic magnum conscribet exercitum, destruetq; & perdet omnes regni sui tyrannides. Et sicut sponsus amorem sponsæ sibi conciliat, ita hic iustitiam sibi conunget. Bella geret in 24. annum usq; Imperij sui, suoq; domitos imperio Anglos, Hispanos, Arragonas, Gallos, Longobardos premet. Romamq; & Florentiam iugum ferre docebit expugnatis direptisq; illis. Victorijs insignibus & præclaris duplicem coronam cõsequetur. Deinde expeditione transmarina facta, peragrabit fines Græcorum, Chaldeorum, Turcarum, Palestinorum, & Georgianorum, illisq; omnibus suo subditis imperio imperabit. Legem in commune statuens, ut quicq; signum crucis non adorauerit morte plectatur. Tantus erit, ut non possit resisti potentie eius à quoq;. Dominusq; futurus sit totius ferè orbis. His autem omnibus à se gestis, ad Hierusalem sanctam ueniet ciuitatē, ubi montem ascendens Oliueti, abdicans se imperio, aget gratias pro uictorijs sibi præstitis deo, edensq; signa & prodigia spiritum claudet extremum Anno Imperij sui tricesimo quinto. Cuius anima excepta ab angelis coronabitur pater patriæ, primusq; Imperator post Fridericum tertium.

Hec sunt in antiquissimo quodam Codice reperta

Anno à Christo nato 1530 Falsus exurget propheta, ex cuius peruersa doctrina Christiana religio non paruum patietur detrimentum usq; in 35. annum supra sesquimillesimū. Veneti aduersus fortune casus sentient. Gallia expugnabitur. Et felix ille reputabitur, cui dabitur attingere 35. annum. Tunc enim repurgabitur ecclesiæ. Inde nouus uertetur seculorum ordo, aurea redibunt secula. Tunc capita ecclesiæ honore prosequuntur, pontifex ob eximias uirtutes, Imperator uere propter pietatem.

Coloniæ, Impensis honesti ciuis Petri Quentell.





↑ mm 0 10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 110 120 130 140 150 160 170 180 190

inch 0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

↑

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

Patch Reference numbers on IUT

4.5 5.0 5.5

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. **490**

